

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 95. (*Neovidensis* 1806. Nro. 89.)

*Secretum litterarum commercium viros inter,  
ac mortuos.*

Epistola scripta Calypsoni in Elysiūm

*Ex mundo superiore.*

---

Elysiūm.-Meum.- Die Martis 18. Novemb. 1806 (Neov. 4. Novem

---

Pulcherrima Nympharum!

**M**eminimus, qua humanitate exceperis Ulysses, se post bellum Trojanum ad tuam insulam Ogygiam feliciter recipientem, Nos quoque bello implicamur, habemusque fugitivos Achilles, et Ulysses, qui gauderent, si possent Calypsonem, ac insulam reperire, in qua liberi forent a mundi procellis, atque persecutione velocis hostis.

Noli succensere, gratiosa Nympha! quod interrogem, ubi terrarum sit insula Ogygia, florentibus campis referta, quam quatuor rivis dividebant, amoenissimique luci bene olentibus cupressis pleni exornabant? Teste Plinio illa nec in Syria existit, nec in mari mediterraneo, cum dolore animi intelligimus, eam solummodo in cerebro poetarum locum habuisse. Cogitatio isthaec omnibus in praesenti bello fugientibus, et tutiora petentibus necessario parit tristitiam. Quot fideles ser-

vi, consiliarii, generales, ministri, imo etiam Reges desiderant hanc insulam laetitiae, ac securitatis? Forte Anglia est illa fortunata insula? sed quamdiu durabit etiam ibi securitas? ubi est in tota Europa punctum a bello, ejusque calamitatibus tutum?

Multos habere gravissima argumenta quaerendi tuam delicias affluentem Ogygiam narraverit tibi ex praesentis belli cursu Elysium nuntius Mercurius. Ulteriores ejus progressionem submitto tibi per eundem in haec litteris. Post proelium ad Jenam commissum interceperunt Galli varias epistolas; sequens est memoratu digna:

*Exemplar epistolae ad suam Excellentiam Comitem  
Haugwitz Status Ministrum Suae Majestatis Re-  
gis Borussiae datae ad primum Regis hospiti-  
um.*

Luisenlandia 12. Oct. 1806.

Mi Domine!

Semper intima cum voluptate percipio benevolas Vestrae Excellentiae veteris amicitiae erga me declarationes; conservet me in amicitia tanquam amicum, qui Vestram Excellentiam constanti amore prosequor, sincereque sum addictus. Missas mihi litteras exhibui Regio Principi, verum non potui aliud, quam declinatorium obtinere responsum; sequitur ille ministrorum consilia, et ego non valeo ejus mentem assequi. Quod me attinet, aestimatissime amicorum! novit mea sensa, nec dubitet de illis. Non puto

regrediendum esse ad materiam, quam vestra Excellentia in litteris ad me datis clarissime juxta, ac solidissime pertractavit. Deus concedat Regi, ejusque exercitui omnem felicem successum. Ille in praesentiarum verus est defensor communis libertatis. Non existimo velle Napoleonem hoc momento temporis congregi cum Borussia, et tota propemodum Europa. Haec mundi pars ferme tota, et quidem absque omni coalitione contra illum consurgit, solo imminente singulis regnis periculo animata, quorum securitatem tueri, est communem causam propugnare. Bonaparte tractabit potius, et forte etiam nonnullas a Borussia avulsas provincias restituet, sic enim lucrabitur tempus colligendi ducenta conscriptorum millia. Sed sequenti anno, impletis suis aliis late patentibus consiliis conabitur, ubi minime cogitabimus, cum foenore recipere, quod hoc anno neglexit ex improvise praeventus. Quare optandum foret, ut in pace totus tractus Vesaliae, et Ducatus Montanus pro Marchionatu Onolsbacensi acquiratur. Moguntia, et Vesalia manebunt loca congregandis copiis, quibus Germania septentrionalis inundetur, nobis minime cogitantibus.

Nisi Moenus, et Rhenus limites fuerint septentrionalis confederationis, haec nunquam poterit repentinis hostili gallorum impetu resistere; Quis enim semper maneat armatus? Si Francofurtum cum suo territorio, Höchst, Königsteinium cum interjacente re-

gione non fuerit adjectum Hassiae, illa seri-  
 rius aut ~~civis~~, impar re istendo, peribit. et  
 status Borussiae erit valde incertus. Data  
 Præmii in Franconia Bamberga sufficiens fo-  
 ret pro possessionibus cis rhenanis compen-  
 satio Ancyburgum, et Darmstadtium, totus  
 autem Rhenus inferior, inde a Lano deberet  
 ad Borussiae spectare. Omnis alia disposi-  
 tio caret firmitate, bellumque esset prae-  
 ferendum,

Dabit veniam dilectus amicus meus som-  
 niis, sed quoniam ea benignitate fertur in me,  
 ut me suorum consiliorum consortem velit,  
 animadversione dignus forem, si mentem meam  
 aperire tergiverar. Forte unicum est mo-  
 mentum avertendi interitum totius Europae,  
 ponere limites rapido torrenti, qui omnia pes-  
 sundare minatur. Caeterum si illi successerit,  
 novum condere regnum Poloniae, de quo  
 nunc potissimum agitur, certa est propediem  
 universalis Monarchia. Metuo, ne jam multa  
 de hoc argumento dixerim; verum si admi-  
 serit, de cunctis faciam certiozem, sperans  
 me non prodendum.

In reliquo plena cum aestimatione perse-  
 vero Vestrae Excellentiae humillimus, et ob-  
 sequentissimus servus, ac veteranus amicus

C. L. Hassus.

Transeamus jam ad sinistrum gallici ex-  
 ercitus cornu :

Princeps hospitium Regis Hollandiae 28  
 Octob. erat Paderbornae. Omnes ibidem  
 repertae Borussiae res occupatae sunt, et ve-

titum publicis ministris, uti etiam publici cursus Officialibus uti pristino Borussiae venitu. Hodie Collegium Canonicorum iterum habuit primam sessionem.

Magnus quoque Dux Montanus gubernacula provinciarum Essendiae, Verthuae, ac Eltnae suscepit, eaque ad tempus concedidit Comiti Vesterhoid.

In officiosa gallica relatione, quae jam numero 15- ta est, sequentia de causis hodierni belli memorantur:

Generalis Schmettau (in nostra captivitate Vinariae mortuus) edidit scriptum magna verborum vi concinnatum, in quo asserit gravem esse nomini Borussiae inustam maculam, interim Borussiae exercitum pollere tantis viribus, ut possit Gallos profligare, bellumque esse necessarium. Scriptum hoc subscripsere: Generalis Rûchel (jam perit) et Blucher (qui non nisi astutia circumveniendo gallo- rum credulitatem evasit,) miseruntque representationis instar ad Regem. Princeps Borussiae Ludovicus Ferdinandus (occisus) promovit rem cavillationibus. Omnium animi accensi sunt. Dux Brunavicensis (graviter vulneratus) homo ut constat, sine caractere, pertractus est ad belli factionem. Tandem hoc scriptum, tanta auctoritate firmatum Regi porrectum est, Regina suscepit provinciam flectendi ejus animum, eique declarandi, quae nam de illo circumferatur opinio. Affirmavit Regem haberi ab omnibus timidum, ideoque tantum nolle bellum gerere, quod ca-

reat animis ducendi exercitum. Rex, qui aeque magno, ac forti animo est, ac quicumque Borussiae Princeps, sivit se abripi quin fuerit convictus, se recte agere. Nominandi sunt etiam viri, quibus bellica factio non imposuit, tales sunt omni honore dignissimus Campi Marechallus Möllendorf, et Generalis Kalkreuth. Ut certum narratur, Regem post factam 9. et 10. equitum legionis aggressionem ad Salfeldam dixisse: *Ajnis gallicum equitatum nullus esse momenti, videte nunc, quid possit levis armaturae equitatus, et concludite, quid facturi sint equites loricali.* *Hae copiae jam in 15. conflictibus demonstrarunt suam fortitudinem, totidem nobis subeundi forent, ut illis essemus pares; Quis autem est adeo inferius Borussiae hostis, ut illi tantum tam terribilis exercitii tempus optet?* Imperator jam omnem rem frumentariam hostis occupaverat, dum 12 hujus sequentem scripsit epistolam (dabimus eam in proximis nostris ephemeridibus) atque ad Regem Borussiae per Officialem Montesquiou misit. Officialis iste die 13. hora 4. pomeridiana venit ad castra Principis Hohenlohe, qui eundem, acceptis litteris apud se detinuit. Rex intervallo duarum horarum aberat, potuissetque illas tardissime hora 6. ve pertina percipere, interim redditae illi sunt primo die 14. hora 9. matutina, id est, fervente jam proelio. Dicitur tunc Rex in haec verba prorupisse: *Si mihi prius fuissent allatae hae litterae, forte potuissemus evitare conflictum, sed horum juvenum animi adeo inflammati sunt, ut, si heri fuisset sermo de pace,*

*ego tertiam partem mearum legionum Brevolinum non reduxissem.* Regi Borussiae duo equi, quibus insidebat, trajecti sunt, et manica glande plumbea perforata. Omnes errores in hoc bello comissi adscribendi sunt Duci Brunevicensi: Ille castra, et itinera militum male ordinavit, et direxit, credebatur Imperatorem jam suae cervici imminentem Parisiis adhuc morari; persuasum habuit in sua potestate esse omnes bellicosos motus, dum jam circumdatus erat. Caeterum jam vesperi ante pugnam consternatio occupaverat Duces, agnoverunt enim se male esse locatos, jactantque esse eam de Monarchia Borussica, ea propter exclamarunt: ergo pereundum est! Hic plerumque est sensus hominum spem omnem abjicientium. Regina constanter fuit in castris Vinariae, debuitque tandem moneri, bellum serio geri, posseque sequenti die tristes pro regno Borussiae emergere casus. Optabat illa a Rege nuntium de abeundo, et reipsa paulo post effugit discrimen. Lordius Morpeth die 11. appulit Vinariam captiosarum propositio-  
 onum faciendarum, subsidiorumque offerendorum ergo: Rex eum ad alloquium non admisit, verum, ne discrimini obijciatur, svasit, rediret Hamburgum, ibique praestolare-  
 tur eventum belli.

### BIOGRAPHIA.

*Calypso*, filia Atlantis. Insula, quam haec Nympha incoluit, dicta est Ogygia. Virentia prata, quatuor fluviiis distincta, nemo-

ra voluptaria, in quibus huscinae nidificabant, et bene olentes Cupressi inter alias species arborum eminebant, amaeuum reddiderunt hunc alias solitarium locum. In medio opaci hujus luci stabat antrum, domicilium Calypsus. Hic illa ex aureo colo ducebat fila, diesque inter canendum agebat felices. Solitudinem ejus interurbavit Ulysses, qui in reditu Troja tempestate jactatus post novem dierum cum vita, et morte conflictum in malo navis huc enavit. Herois hujus amoribus brevi capta est Calypso, sollicite eum curavit, amavitque, verum desiderium videndae Penelopes in singulos dies crescebat apud Ulysem adeo, ut licet Calypso eidem, apud se in perpetuum mansuro promiserit immortalitatem, hoc tamen donum respueri. Tandem Jupiter misit ad eam Mercurium, ut suum hospitem dimitteret. Septem annos apud eam traduxit, et partus amoris edidit Nausinuum, et Nausithoum. Ulysses fabricavit sibi navim, ad quam necessaria suppeditavit Calypso, praeterea vestitum, atque alimenta, sicque instructum, ad mandatum Deorum, secundo vento dimisit ad patriam.

N

Uly

Re

H

mo  
len  
ve  
pu  
tus  
ex  
gre

ali  
ha  
un  
lat  
im  
ler  
sin  
ge  
et  
ea